



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Capitulum XX. Personas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

Andreas in c. Si motus. n. 1. de prob. in 6. I-mola, Abbas, Felin. Sanch. l. c. Menochius casu 201. n. 80. licet motus proprius tollat suspensionem obreptionis, non tamen ampliat privilegium siue gratiam ultra voluntatem concedentis verisimiliter præsumptam, quamobrem si Papa motu proprio conferat beneficium irregulari, aut aliter inhabili, non factâ mentione inhabilitatis, gratia irrita censetur ob defectum voluntatis, quia præsumitur ignorasse secundum *gl. receptam in Clem. Si Romanus, de prob.* præterea si in privilegio motus proprii exprimitur falsum tanquam causa finalis concessionis, ita ut appareat, vel præsumi possit, nisi in eo errasset seu malè persuasus fuisset Papa, gratiam talem concessurum non fuisse, tunc irrita censetur ob voluntatis defectum, uti docui *lib. 1. Theol. Mor. Tract. 7. cap. 23. n. 10. in fine.* & videri potest *Sanch. cit. disp. 21.*

Not. III. Si in rescripto aut privilegio à Papâ aliòve principe emanante aliquid continetur, quod rationi aut consuetudini curiæ contrarium videatur, remitti debet tanquam suspectum de falsitate, uti etiam habetur *in c. 2. de rescriptis.* & ideò ait *Abbas hic n. 7.* non debet Ordinarius esse facilis in executione horum privilegiorum, sed consulere principem & expectare secundam iussionem.

CAPITULUM XX.

Personas.

NON SUMMATVR.

Testis productus, si consimili morbo laborare ab aduersâ parte cõiectus fuerit, repelli debet: sensus est, quem *gl. & Io. Andreas* hic tradunt, quòd causam consimilem habens ei, ad quam testis produci-tur, repelli possit, sicuti plenius colligitur ex parte 10. cap. 5. post *Conc. Lateranense sub Alexandro III. tom. tertio Conciliorum*, unde hoc capitulum desumptum est, v. g. *Si Parochus*, contra aliquem ex Parochianis agat pro decimarum solutione, pro se autem

Reus immunitatem à soluendis decimis per tempus immemorabile obijciat, cuiusque rei testem producat alium parochianum, qui consimili morbo laborat, seu eadem in nauì nauigat, quia & ipse similiter, si actio contra eum instituatur se defendere velit per temporis immemoralis immunitatem, hoc casu repellendus erit propter affectionem, quam gerit erga causam istam, sic & iudex tanquam suspectus recusari potest, si consimilem ipse causam cum altero habeat. *c. Causam. 18. de iudic.*

Corollarium. Si pluribus rixantibus homicidium commissum sit, & nesciatur, à quo eorum vulnus lethale inflictum, tum si vnus ad se exonerandum fateatur de Titio, ac probare velit per alios testes socios, horum testimonia suspecta esse debent, & ideò contra eos excipi potest, quia videntur ad seipso à suspitione eximendos, crimen in vnum Titium conijcere, quâ de re vide *Farinacium q. 60. n. 19.*

CAPITVLVM XXI.

Iudæi.

PARAPHRASIS.

Testimonium Christiani aduersus Iudæos in omnibus causis recipiendum est, cum & ipsi aduersus Christianos testes suos producere præsumant, & excommunicandi sunt ij, qui Iudæos Christianis in hac parte præferre voluerint, cum illos Christianis subiacere oporteat, licet & Christiani illos pro suâ humanitate fo-uere debeant.

SUMMARIVM.

1. Iudæi ut testes recipi possunt in quibusdam casibus.
2. Christiani aduersus Iudæum testes produci possunt adeò, ut per privilegium, vel consuetudinè introduci non possit contrariò.
3. Ecclesia habet jurisdictionè in Laicos ipsosque Principes saculares, si quid decernat, aut introducant Religioni Christiana, aut eius decori contrarium.

Sum-